

*Enrico Ruffo dona al figlio Ruggero dei
beni siti a Reggio Calabria e Catona*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Enrico Ruffo dona al figlio Ruggero dei
beni siti a Reggio Calabria e Catona*

1325-07-20

In nomine Domini amen. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto. Die duodecimo mensis Iulii octavae inditionis apud Sinopolum. Regnante Serenissimo Domino nostro Rege Ruperto Dei gratia Inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Folcalquerii, ac Pedemontis Comite. Regnorum suorum anno decimo septimo feliciter amen.

Nos Nicolaus de Regio Iudex Terre Sinopolis, Ioannes de Bernardo Civitates Geracii in totum Iustitiariatum Calabrie Regius publicus notarius, et testes subscripti, ad hoc specialiter vocati et rogati. Presenti scripto publico notum facimus, et testamur, quod Magnificus Vir Dominus Henricus Ruffus de Calabria Sinopoli Dominus, attendens satis grata et accepta servitia quae Vir nobilis Rugerius Ruffus de Sinopolo ipsius Domini Henricii filius, ab eo, ut presens Dominus Henricus asseruit, ab olim emancipatus, contulit incessanter confert ad presens, et que in futurum poterit meliora, nolens et irremunerata transire, coram nobis pro se, suosque heredes, et successoribus, pure, libere, simpliciter inter vivos, et irrevocabiliter in perpetuum dedit, donavit, et tradidit dicto Rugerio presenti, pro se, et suis heredibus infrascripta sua bona stabilia sita in civitate Rheggi eiusque tenimento, et tenimento Catone, Mese, et Casalis Niceti, que de bonis suis burgensatici esse dixit, videlicet. Quasdam Domos cum cortilio earumdem, sitas, et positas in ipso Castro Civitatis Rheggii supradicte, iuxta Domos Ioannis de Amendolea eiusdem Terre Amendolea, Domini, et iuxta domos quas tenet Domina Gigliata uxor Arrutii de Amendolea, Vias publicas, et alios confines. Item

quamdam vineam sitam in pertinentiis, seu tenimento Catone cum terra vacua, sita intra clausuram dictae vinee, et eiusdem vinee coniuncta domo, et canneto intra ipsius clausuram contento. Item omnes villanos, angarias, vassallos, seu reddentes morantes in Civitate Rhegii, et alibi ubicumque que quoque fuerant quondam Domine Macalde de Monteaperto consortis donatoris eiusdem, et per eam legata, donatas predicto cum omnibus iuribus, et redditibus ad quos, et ad que dicti villani, et vassalli prefato donatori tenebantur, que quoque vinea, et Terra est prope flomariam dictam de Muro, Terram dictam de Perlisio, et alios confines. Item petiam unam Terre sitam in loco dicto de Latto de tenimento Mese, iuxta vineam quondam Guglielmi Intrisii, Terram Theodori Gabret, Viam publicam, et alios confines. Item in eodem loco, Terram aliam dictam de Catalimita, iuxta Terram nobilis Viri Georgii de Presidro, vallonem, et alios confines. Item in casali Pedronensi, petia unam Terre prope Terras Curie, Terras Philippi Podemeni, Vias publicas, et alios confines. Item in Casali Sitro, hortum unum iuxta terram Coste Mammuli, Terram magistri Nicolai de Bova, et alios confines. Item in Casali predicto petiam unam Terre et petiam unam vinee, sitam iuxta Vallonum, Viam publicam et alios confines. Item in loco dicto Gallico, petiam unam Terre, iuxta terram Pagani Stravorseli, Terram Dominici Calliotte, et Leonis Ferati, et alios confines. Item in Casali Apitiarri, petiam unam terre, iuxta terram uxoris Mamianimi, Viam publicam et alios confines. Item in supradicto, partem Palatii Catone, prope Terram Sancti Salvatoris, Terram Canfalle, et alios confines. Item in tenimento Terre Niceti, quasdam terras dictas de Gofredo, quas communiter, et pro indiviso, dictus Donator se habere,

et possidere asseruit cum Regna maiore cautela iuxta vallonum et iuxta terram quondam Nicolai Terni, et iuxta Terram Theodori Pati, alium vallonum et alios confines, si quos habent, ad habendum, tenendum, possidendum, gaudendum, uti fruendum, alienandum, et quicquid eidem donatario, suisque heredibus, et successoribus de predictis bonis donatis recipienti, placuerit perpetuo faciendum cum omnibus, et singulis infra predictis continentis, vel aliis, si qui foret accessus et egressus ipsorum bonorum donatorum usque in vias publicas, et cum omnibus, et singulis quae habent supra se, vel infra se in integrum, omnique iure, actione, usu, seu requisitione eidem donatori ex predictis bonis donatis, vel per ipsum, aut ipsius modo aliquo pertinentibus seu spectantibus cum aquis, et aquarum decursibus, agrorum consuetudinibus, debitis bonorum predictorum, ipsa iura, et actiones a se alienatas, et in donatarium predictum trasferentur. In quorum bonorum donatorum corporale possessione, dictus Donator ipsius Rugerium donatarum coram nobis per fustem, ut moris est induxit, et etiam investivit, ipsaque bona donata, dictus donator se dicti donataris nomine possidere constituit ipso Rogerio presenti, scienti, et volenti, usquequo idem donatarium ipsorum bonorum donatorum possessionem acceperit corporalem, quam accipias autoritate propria sine iudiciis proclamata seu magistratus decreto, renuncians insuper iam dictus donator predicto Rugerio omnimodum licentiam, atque dedit, promittens, dictus donator pro se, suisque heredibus, dicto Rugerio donatario pro se suisque heredibus et successoribus legitimam stipulationem, et insuper predictus donator asseruit omnia et singula supradicta, et infrascripta se rata, grata, et firma perpetuo habere, nec contra ipsa,

vel partes, vel ipsorum aliqua de iure, vel de facto, iudicio Curie per se, vel alios, non facere, vel venire, et litem, vel controversiam eidem donatario vel eius heredibus de predictis bonis donatis, vel ipsorum aliquo ullo tempore non inferre, nec inferenti consentire, sed, et predicta bona eisdem donatario et sui heredibus ab omni homine, et Universitate, persona publica, seu privata, legitime defendendum, authorizandum, distrigandum, et guarentandum, et tenetur idem donator ad omne damnum, et litis expensas, ac interesse litis, quas, vel quae idem donatarius vel sui heredes pro predictis bonis donatis fuerint, vel sustinuerint, in iudiciis, vel extra eis integraliter reficere, et restituere, et predicta donationem ingratitudinis vitio, vel propter natus, et nascituros filios, vel partus, vel quia immensa esset dicta donatio, vel causa quacumque alia maiori quia presens donatio summam quingentorum solidorum, seu aureorum excedie, et sine insinuatione presidis est confecta, in totum, vel in partem nullatenus revocare sub poena unciarum auri ducentarum ponderis generalis, eidem donatario penae nomine stipulatione promissa, et Regie Curie pene nomine similiter persolvenda, me predicto notario pro parte ipsius Curie poena eandem legitime stipulante quam poenam, dictus donator a se, et suis heredibus committi, et exigi voluit pro parte dicte Curie per Iustitiarium Calabrie, seu Iudicem alium, quem idem donatarius elegerit sine libelli oblatione, litis contestatione, et sine strepitu, et figura iudici appellatione aliqua non obstante, quo termino ipse donator, vel eius heredes contra predicta venire contingerint, vel aliquid eorum, ipsam poenam solutam, vel non, intotum, vel in partem aut gratiose remissam, omnia, et singula suprascripta, et infrascripta in eadem

maneant firmitate. Voluit insuper dictus donator quod predictus donatarius predicta bona non teneatur, nec debeat consentire filiis aliis donatoris eiusdem si ipsum donatarium, ex testamento, vel ab intestato contingat succedere donatari predicto una cum filiis aliis donatoris eiusdem, quam donationem ex nunc prout extitit firma inter ipsos suos filios expresse prohibuit donatario predicto, inquantum dictam collationem locum habere omnino renunciants. Renunciants etiam dictus donator exceptioni, doli, metu, predictam ratione privilegii prime cause, et omni legum auxilio, dictamque donatione non posse a donatore propter vitium ingratitudinis revocare, sub poena dictarum unciarum quingentorum solidorum seu aureorum sine insinuatione presidis, quia sponte donator, donatario dedit. Item beneficio legis per quam donationis propter natus, vel nascituros filios revocentur et quatenus donatione factam a Patre, filio pro Patris libitu revocari, quia ex nunc ita voluit presentes donatione validam esse donatario predicto, ac si esset nunc donatio facta, et mortis silentio confirmata, et generaliter omni alii iuri, et legum auxilio, tam canonico, quam civili, iuri scripto, et non scripto, promulgato, et promulgando, et omnibus consuetudinibus, quibus posset contra predicta venire, vel aliqua eorum, et iuridicente generaliter renunciante, certiorato prius ipso donatario de predictis beneficiis, sibi competentibus per nos iudicem et notarium supradictos, et alios iuris peritos, ita tamen quod extitit in continenti inter ipsum donatorem, et prefatum donatarium in contractu predicto anno quolibet in festo Beate Marie Virginis, S. Assumptionis eiusdem, idem Rugerius, et sui heredes in perpetuum, tenentur, et debent dare, et solvere clero Rhegii pro celebrandis missis pro anima ipsius donatoris,

et domine Machalde de Montaperto consortis eiusdem de redditibus bonorum suorum in tenimento Catone, duas uncias in pecunia usuali, quas uncias, si dictus donatarius non solverit ipsi clero, vel sui heredes quod presens donatio, quantus ad ipsa bona non obtineat firmitate sed usque ad quantitate ipsarum annuarum unciarum duarum, de ipsis locis at clero predicto quod etiam Rogerius ipsi donatori facere, et adimplere iuravit ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, et se eodem donatori servare predictam ad centum unciarum solemniter obligavit, et ad maiorem firmitatem omnium predictorum supradictus donator sponte iuravit eodem donatario ad Sancta Dei Evangelia manu tacta, se rata et firma predictus habere, tenere, observare, et adimplere omnia, et singula predicta, et contra ipsa, vel ipsorum aliquod per se, vel alios aliquando non facere, vel venire

Unde ad huius rei firmitatem futuram memoriam et predicti Rugerii donarii, suorumque heredum per predicta cautelam, factum est exinde presens publicum instrumentum scriptum, et subscriptum per manus mei publici notarii supradicti. Nostrum qui supra iudiciis, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum, nec non ipsius donatoris sigilli pendentis munimine communitum. Ipsi domini Henrici petitionibus, et rogatu, actum anno, mense, die, loco, et inditione premissis. † Ego qui supra Nicolaus de Regio Iudex Terre Sinopolis testor. † Ego Fulco Ruffus de Sinopolo miles Bubalini et Capitis Brutiani dominus predicta testor. † Ego Guglielmus Ruffus de Sinopolo predicta testor. † Ego Presbyter Conde de Cristo de Civitate Rhegii predicta testor. † Ego Petrinus Ruffus de Sinopolo testor. † Ego Henricus de Notario Gregorio testor.

† Ego Guglielmus notariis Acphassi testor. † Ego
Iacobus de Messana me subscripsi. † Ego qui supra
Ioannes de Bernardo Civitatis Giracii, et per totum
Iustitiariatum CalabrieRegius publicus notarius presens
publicum instrumentum scripsi, et me subscripsi.